

1. Kettner / D. Friedr. Ernesti. /
2. Breithaupt / D. Joach. just. / Diff. de
3. Calovj / Abrah. /
4. Pfaff / D. Joh. Christoph. / Diff.
5. Goetzj / M. Georgj. /
6. Mayer / D. Joh. Frid. / Diff.
7. de Krackewitz / A. B. Joach. / Diff.
8. Antonj / Dr. Pauli. / Diff.
9. Mayer / D. Joh. Frid. / Diff.
10. Foertsch / D. Mich. / Diff.
11. Calovj / D. Abrah. /
12. Academie Regimentale programma
13. Breithaupt / D. Joach. just. / Diff.
14. Sagittarij / Casp. / Theres.

- I ~~II~~ Gloria i. Joh. 5, 7. de Sanctissima
 Trinitate. *Francfurt. 1713*
 - II. Forma sanorum Verborum. *Hale 1707.*
 - III. Disertatio de aeterna verbi
 existentia. *Witteberg 1657.*
 - IV. — de Evangelio *Tubing 1709.*
 - V. Disert. de profecio Christi. *XIV Gies 1662.*
~~VI. Eisdem part. altera.~~ *XIV Gies 1662.*
 VI ~~II~~ de benedictione sacerdo *XV Gies 1699.*
 tali *Gryphswalde 1705.*
 VII ~~III~~ de Agno paschali. *XV Restach 1706.*
 VIII ~~III~~ de Redemptione per Xylron. *Hale 1707.*
 IX ~~III~~ de Officio Christi sacerdo *XVI Gryphswalde 1709.*
 tali *Gryphswalde 1709.*
 X ~~III~~ de Satisfactione Jesu Chr. *XVII Tubing 1700.*
~~XI Disert. de Sudore Christi~~
~~Panguinea.~~
 XII de descensu Christi
 ad inferos. *Witteberg 1682.*
 XIII de Christo Trium
 phatore. *1690.*
 XIV ~~III~~ de Angelis. *Hale 1688.*
 XV ~~III~~ de Pietismo genuino. *Gies 1699.*
 XVI ~~III~~ Analysis logica Epistole
 ad Hebraeos. *Lipsia 1706.*
 XVII ~~III~~ Disert. de Conditione
 Resuscitatorum in hanc vitam.
Gryphswalde 1702.
 XVIII ~~III~~ Exercitium scholasticum.
Hanovera 1713.
 XIX ~~III~~ Programa de Cruce Christi.
Claus Thale 1727.
 XX ~~III~~ Programa de reducta pace
 per Georgium I. Magnae Brit. Reg.
Claus Thale 1720.

- 15 Oleary / Gottfr.
 16 Mayer / S. Joh. Frid.
 17 Plumeyer / Joh. Henr.
 18 Calvoer / Henning.
 19 _____

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]



20 17

PROOEMIUM SOLEMNE,

QUOD ERAT

IN

PUBLICO SCHOLAE HANNOVERANAE EXA-

MINE d. VIII. Jd. APRILIS a. c. INSTITUENDO,

OB GRAVISSIMAS AUTEM CAUSAS DILATO

LECTIONIBVS
ΔΟΚΙΜΑΣΤΙΚΑΙΣ,

EX QUIBUS EXAMINARI DEBEBANT DISCIPULI,
PRO MORE IN SCHOLAS RECEPTO,

PRAEMITTENDUM

OPTIMIS LITERARUM FAUTORIBUS

EA, QUA PAR EST, ANIMI OBSERVANTIA

LEGENDUM

OFFERT

JOHANN. HENRIC. Blumeyer

Con - Rect.

HANNOVERÆ, ANNO M DCC XIII.

H. Krause



VIRIS

*Excellentissimis, Nobilissimis,
Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis,
Prudentissimisque*

DOMINIS CONSULIBUS, SYNDICO,
CAMERARIIS, SECRETARIO CETERISQUE
PATRIBUS CONSCRIPTIS ORNATIS-
SIMAE CIVITATIS HANNOVERANAE,

Fautoribus meis atque PATRONIS
omni pietate, observantia atque obsequio
prosequendis

*pro ingenti liberalitate, quam in exstruendis
novis quibusdam aedibus iisque studiis meis
dedicandis atque consecrandis declarare
voluerunt*

hoc quaecumque scholaasticum exercitium
in grati animi tesseram
et

*Redhostimenti loco
veteri clientum more
dat dedicatque*

AUCTOR.



Ta tertia et prima vice a me fieri videtis, VIRI (Tit.) ita, inquam, tertia et prima vice a me fieri videtis, ut in hoc Sanctissimo Musarum domicilio publicam hanc cathedram conscendam, publice ex hoc loco ad Vos Summos hujus Scholae Antistites bonarum literarum artiumque amantissimos verba factururus. Prima vice de *otio*, quo foedius, quo pestilentius, quo detestabilius in scholis nihil esse nihilque inveniri potest, ex hac cathedra eo sum locutus tempore, quo eram jussus ipse Summorum scholae Antistitum examen subire, meque ipsum *examinare* tanquam futurum *Musarum*, id est, *Discipulorum examinatore*. Annus abhinc unus est, cum hac ipsa hebdomade, quae *Judica* adpellari consuevit, in publico Scholae examine Gravissimos Patronos vehementer sum obtestatus, ut tam de Praeceptorum informandi fide, quam de discipulorum vita, moribus, obedientia, industria, studiorumque profectibus Judicium ferrent suum, suoque Judicio gravissimo isti morbo, quo schola publica ab aliquot retro annis laborasse visa est, mederentur. Tertia jam vice hanc publicam scholae cathedram ascendo, paucis in medi-

um prolaturus, quae tum ad depraedicandam Scholae nostrae Ephorum singularem in Praeceptores benevolentiam, tum ad depingendum vivis quasi coloribus tam praecceptorum, quam discipulorum officium pertinere videantur. Quod si autem illud, quod tertia jam vice a me institui cognoscitis, prima vice a me fieri contenderem, *παράδοξον* dicere viderer; re autem vera dicerem, quod veritati esset consentaneum.

Primum enim hodierno die in hanc publicam dicendi palaestram procedo, *in hoc tam novo tamque insolito cum Amplissimi Senatorii ordinis, haut in auspicato commutati, tum reliquorum Patronorum conessu.* Novum conspicio eundemque praesentem animo veneror ornatissimae hujus civitatis Consulem (a) (Tit.) Dominum Völggerum, Virum in summam patriae spem summamque civium expectationem, Excellentissimo viro consule Danhauero vita functo, omnium suffragiis Consulem designatum, creatum constitutumque, *Civem de patria civitate meritissimum, Patronum omni animi cultu cum a me, tum ab omnibus, quotquot boni cives sunt, et de Re nostra Publica optime sentiunt, nullo non tempore profe-*

- (a) *BENEVOLVS LECTOR facile, quod spero, mihi dabit veniam, quod Patronorum Nomina titulosque, ne in librum excresceret oratio, non adscripserim, ordinemque Patronos compellandi, quem in Schola, si publice fuisset recitata oratio, observare debuissim, minus observaverim. Qua in re si quid a me fuerit erratum, id velim mihi ignoscat* BENEVOLVS LECTOR.

quendum. Novum intueor atque veneror Summe Reverendi Ministerii Senio-rem, Dominum M. Langium, Pastorem *de Ecclesia Sanctae Crucis longe meriti-
tissimum*, Fautorem meum *aetatem colendum, suspicien-
dum*. Novum Sanctissimi divini verbi Ministrum Pri-
mum hodie ore atque animo saluto, Dominum Mayerum, *Heidelberga ortum, Pastorem Ecclesiae Sanctae Crucis vi-
gilantissimum, Virum et doctrina et religione conspicuum,*
Patronum meum *colendum, venerandum*.

Novum inclutissimi Senatus Syndicum oculi mei
in praesentia venerantur, Dominum Tappenum, virum
doctrina atque humanitate *longe praestantissimum*, Patro-
num meum *aestumatissimum*. Novum denique Amplis-
simum Senatus Secretarium dignissima gratulatione mea
complectitur oratio, Dominum Busmannum, virum
omni humanitate *politissimum*, qui primum nuper ad
Rempublicam accessit tam *felici omine, ut in ipso Hone-
ratissimi Patris, Excellentissimi viri, BUSMANNI, civitatis
hujus Consulis dignissimi, Patroni mei munificentissimi omni-
que pietate observandi*, ejusque in Rempublicam meritorum
memoriam nunquam intermorituram esse confidamus.
Hi omnes sunt, qui *iis nominibus atque titulis insigniti,*
quibus nunc decorati sunt, nunquam me ante hac ex hac
cathedra declamantem conspexere. *Quibus omnibus atque
singulis de dignissima, quae ipsis propter virtutem facta
est, fortunae, honoris atque dignitatis accessione ex ani-
mo*

mo gratulor, mihi gaudeo, devotaque mente suspicio tam
Ipforum Novorum, quam reliquorum Patronorum
praesentiam, qua singulare monumentum incredibilis suae
in Scholam benevolentiae hodie extare voluerunt. Neque
est sane, Maximi literarum Statores, quod ora Vestra
exhorrescam, quae tanta praedita sunt humanitate, ut
ea intuens habeam, in quo, tanquam in firmissimo o-
ptimarum literarum praesidio oratio mea conquiescat.
Nobis autem circumspicientibus argumentum praesenti
negotio accommodatum tria occurrunt rerum momen-
ta, quae ad nostras dicendi vires periclitandas animum-
que vestrum, Patroni, nobis conciliandum copiosius a
nobis dici atque explicari possent, nisi hodiernum in-
stitutum, quod sanctum aequae ac solemne est, a longiori
oratione nos avocaret ac impediret, quo minus tempus
Publico Scholae Examine destinatum verbosiori praefatio-
ne inutiliter absumeretur. Paucis igitur. Auditores om-
nium ordinum Honoratissimi, ne patientia Vestra abu-
ti velle videar, in praesentia me expediam, Vestraque fretus
auscultandi benevolentia primum Patronorum hujus
scholae ingentem in nos voluntatem, tum Praeceptorum offi-
cium, et Discipulorum denique nostrorum mores, qua fieri
poterit brevitate, perstringam.

Patroni *Sanctissimum suum nomen* sortiti esse viden-
tur a *Patribus*, nihilque nisi *Patres* sunt, dum Scholas eas-
demque publicas, *quas non Reipublicae solum, verum etiam*
doctrinae ac virtutum seminaria dicimus, cura, amore, studio
consilio, auxilio praesidioque complectuntur, Praeceptores
alunt, ornant, tuentur, ipsisque de Fama, laude, dignitate,
aucto-

auctoritate, aptis ad habitandum domiciliis, iisque rebus omnibus, quae ad sustentandam conservandamque vitam faciunt, benignissime prospiciunt, et discipulos denique auctoritate, exemplo, legibus et Justissimis diligentiae laudibus pariter atque praemiis ad optimas literas excolendas invitare, iisque, quas diximus, rebus tanquam stimulis incitare haut dedignantur. Quae omnia ita a me disputantur, ut Vobis, summi viri, rerum earum laudem earumque virtutum gloriam Vestro quasi jure tribuendam judicem. Vos estis Patroni, Vos estis Patres, qui tantis nos, qui Praeceptores audimus, adfcitis atque exornatis beneficiis, ut ea neque animo, neque commemoratione nedum gratia consequi posse videamur. Neque hoc temere a me dici nec fingi omnes, PATRONI, judicabunt, qui accuratioris mentis trutina mecum expendunt incredibilem Vestram in me ipsum liberalitatem, qua ita me amplecti voluistis, ut de *exstruendis novis quibusdam aedibus* tam ad privata mea Studia tractanda, quam ad juventutem *Hannoveranam* instituendam erudiendamque aptis atque accommodatis magnopere fueritis solliciti. Quae res ipsa quemadmodum Clarissimorum Vestrorum Nominum memoriam immortalitati traditura est: Sic a me ita complectenda animo, ut enitendum mihi et elaborandum esse ducam, quo omnia, quae in ingenii, Studiorum, industriae, et torius denique vitae meae facultate sita ac posita sunt, in Vestram laudem, splendorem, dignitatem, existimationem et in scholae discipulorumque meorum usum, commodum atque emolumentum pleno alveo effundantur. Verum ea omnia cum tanta non sint, Maximi Patroni, ut minimam partem ingentis Vestrae in nos benevolentiae adsequi possint, altius evolabimus cum Deo T. O. M. supplicissimas nostras preces communicaturi, quo vices nostras liberalitatis

Ve-

Vestrae remunerandae in se suscipiat, Vestramque omnium dignitatem Reipublicae nostrae ornamento atque emolumento sartam tectamque reservare velit quam diutissime. Quae vota, Maximi Fautores, pro Vestra omnium incolumitate suscepta eo magis libentiusve nuncupaturus sum, quo majus me VOBIS debere agnosco, qui à liberalitate Vestra praeter ceteros ita sum adjutus, ut nunquam Vobis dignam meritis referre gratiam posse confitear. Verum enim vero quod fortuna ad remuneranda beneficia facultati meae denegavit, id omne compensabo animo tam memoribenefici, orum tamque grato, ut Vobis, Patroni Muniticentissimi, omnem pietatem, observantiam, fidem, obsequium et totam denique vitam pro dignitate Vestra profundendam religiose pollicear, nullus dubitans, quin VOS, *pro summi et Sanctissimi muneris Vestri partibus suis effectuari, ut tot et tanta, quae apud me collocata sunt beneficia nunquam cessent, sed velut ex perenni fonte effluent, tum effluendo non exarescant neque exhauriantur.* (b) Unum ad huc restat, quod sine maxima culpa me praeterire non posse video,, scilicet tantam Vestram, Patroni, in Scholam publicam esse animi propensionem, ut hodierno die, laboribus Vestris, quos intelligimus esse arduos, pro salute Scholae nostrae posthabitis, frequentes ad nos accedere, in hoc Musis consecrato domicilio confidere, de nostra docendi instituentique ratione ac fide, et de Discipulorum nostrorum profectibus, quos in studiis tecere, sciscitari, minus fueritis

(b) Haec verba Celeberrimus, quoad in vivis fuit, Polyhistor Conr. Sam. Schurtzfleischius, Praeceptor meus post fata etiam colendus, de suis mihi elargitus est.

tis gravati. O Sanctissimum consilium! O Praeclarissimum institutum! id quod nemini discipulorum grave ac molestum esse nec debet nec potest, nisi iis, qui ex Discipulorum numero cum morum tum studiorum suorum rationem reddere tergiverfantur, molesteque ferunt, quod inobedientia sua, discendi torpor, oscitantia atque voluptates, quibus indulgent, ex obscurissimis vitiorum latebris velut ex tenebris in solem atque lucem protrahi debeant. Scholae autem nostrae quid consulit, quid utilius, quid salutaris publico examine? Praefertim cum ex tot tantorumque Patronorum praesentia nova quaedam lux Praeceptoribus adfulgeat, fore, ut Ipsi porro animum suum ad Scholam publicam adjiciant, et disturbando extirpandoque clancularias Scholas pueris pariter atque Juvenibus *Hannoveranis* apertas de scholae nostrae publicae incremento magis magisque cogitare Velint **Quantum**, Auditores O. O. H. rei militari adfert utilitatem publica exercitus lustratio, qua vel ipsi summi terrarum orbis Principes, vel belli Duces ac Imperatores militum ineunt numerum, in eorum aetatem, vires, virtutem, vestes, arma, quae gerunt, et stipendia, quae merentur, accuratius inquirent, delectumque habent eorum, quorum virtute ad pugnandum adversus hostes uti velint; tantum ad rem nostram Scholasticam redundabit commodum ex hoc publico examine, ad quod instituendum hodierno die in his Sacris Musarum aedibus, Vos Patroni, frequentes convenistis. Quod unum, nisi alia propensae Vestrae in literas voluntatis extarent monumenta, laudem meritis Vestris dignam a nobis repetere posset, ac mereretur, ut Scholae nostrae alumni se ita nullo non tempore gererent, ne Patronorum spem, quam

B

in

intelligunt, de se esse conceptam máximam, frustrarentur.

Dixi de Patronorum benevolentia, dicendum nunc paucis est de praeceptorum officio. Verum quis Auditorum est, quem ea, quae ad sanctissimum Praeceptorum munus religiose exequendum spectare ac facere videantur, fugere possint? Quis praeceptorum est, quem non dicam conscientia, sed recta et sana tantum ratio de officii sui ratione non admoneat? Quis praeceptorum est, cujus conscientiae quasi calum obduxerit perpetuus labor, ut ejus stimulum intra se ipsum non amplius persentiscat? Itaque majori opera praeceptorum officii declarandi inpraesentiarum facile, ut arbitrator, possum supersedere, si modo Vos omnes, Maximi Viri, ad sanctissimas leges *Majorum Vestrorum* religione sancitas Vestraque auctoritate comprobatas confirmatasque, quibus Praeceptorum officium continetur, ea, qua par est, modestia remittam, meamque ad Discipulos meos convertam orationem, eos tanquam in speculo ostensos Clarissimae Patronorum Luci expositurus. Discipulorum, quos Vos Ipsi Patroni, in hoc acroaterio conspicitis, numerus mediocris est, et optandum profecto esset, ut illi, qui ingenuorum discipulorum munere recte fungi videntur, auditorum numero responderent. Neque est tamen, quod vereri debeam, ne spes mea de ingenuorum atque bonorum discipulorum numero me fallat, quemadmodum olim Virum *vitae integrum scelerisque purum* Lothum de bonorum civitatis suae incolarum numero ita frustrata est, ut ne manuum quidem Sanctissimi viri digiti bonorum justorumque numerum exhibere atque explere potuerint. Quos ingenuos ex auditoribus meis discipulos quoties cogito, toties incidit memoria in Virum Stratonicum, *cujus lib. VI. Apophthegm. ex Athanaeo aliisque* meminit Celeberrimus Erasmus Roterodamus,

quo lumine, [scilicet Erasmo] juxta Vossium cum Hugone Grotio nihil eruditius vidit vel sol, vel solum sustinuit. Ipse cum in ludo suo haberet *pictas Musas novem et Apollinem unum, discipulos autem tantum numeraret duos*, interrogatus a nonnemine, *quot haberet Discipulos, cum Deus*, inquit, *duodecim*. O fortunatum praeceptorem! O ditissimum discipulis Magistrum! Nos tanto viro tantam nunquam invidemus fortunam, sed nostra forte erimus contenti, si in posterum cum Deo unum discipulum retinuerimus. Per Vos autem intelligitis, Auditores, hoc ita accipiendum esse, ut, quod dixi, non de Discipulorum numero, sed animo potius dictum intellectumque velim. Eo redit verborum nostrorum summa, ut ejusmodi scholae alumnos studiis innutrire cupiamus divino quantum ita junctos copulatosque, ut cum Sanctissimo Numine per Christum *τὸν μεσίτην Θεῶ καὶ ἀνθρώπων* uniti una mente Deum immortalem colant, una eaque vera fide ipsi inserviant uno animo ad amplectendas virtutes inter se conspirent, uno flagrent studendi discendique desiderio, unaque pietate atque obedientia Praeceptores prosequantur, atque ita *in unum quasi coalescant et unum cum Deo*, aut si magis placeat, *in Deo discipulum* constituere videantur. Etenim cum fieri omnino posse videamus, *ut inter multos auditores pauci inveniantur discipuli*, eo fidelissimi praeceptores in scholam et solent et debent esse animo, ut paucos discipulos magno auditorum numero anteponendos putent. Quod ad me attinet, in discipulorum numero quaerendum invenientumque esse duco, *non quod*, ut tritissimum usu habet diverbium, *pueri solent in faba*. Qua in re gravissimam semper secutus sum sententiam Sapientissimi viri, Threviri nomine, quem dixisse referunt veterum literarum monumenta: *Bonum belli Ducem malle multos milites, quam multa castra; et melius esse habere paucos discipulos*

los quam multos auditores. Ita intelligitis, Auditores O.O.H. unum me voto expetere discipulum animo, numero autem tam multos, quam hujus loci spatium satis amplum ambitu suo capere possit. Quod si vero accidat, ut in posterum habeamus, quod in schola nostra publica non minus discipulorum, quam auditorum inopiam conqueramur, omnes isti, qui emunctioris naris sunt, meo judicio recte facient, si temporis et loci iniquitatem accusaverint, scholaeque publicae decrementi culpam in privatos potius praeceptores, quam publicae Scholae Magistros conjiciendam judicaverint. (c) Sin quis aliter senserit, ei non pertinaciter repugnabimus, sed

(c) Huc pertinent ea, quae VIR *Clarissimus* atque *Doctissimus* Dominus Auspurg, scholae nostrae p. t. Rector, Collega publico docendi munere, amore, mutuisque officiis mihi conjunctissimus, in *Programmate X Calend. Junii* CIO. CI. C. C. XI. edito, in quo Quaestionem, num publica in scholis institutio privatae, domi quae suscipitur, praefenda sit, nec ne, enodare sategit, docte copioseque disputavit. Cum quo programmatis argumento conferri poterit Viri Summe Reverendi atque Excellentissimi Christiani Ludovici *Ermiş* S. Theol. Doctoris Ecclesiarum Scholarumque Brunsvicensium Superintendentis, de utrisque egregie meriti, Domini mei Adfinis et Patroni aeternum venerandi, disertissima atque doctissima Oratio Inauguralis, quae die Inaugurationis novae Scholae Catharinianae, qui erat VIII Julii. CIO. CI. C. C. Brunsvigæ habita et publici juris facta est, in qua idem argumentum, quod Scholae publicae anteponendae sint privatis tufius est pertractatum.

facile patimur, *num quemque suo sensu abundare*. Nos interea, quibus in recta nostra conscientia acquiescere posse gratissimum dulcissimumque est, in sinu quasi gaudemus, nos alios habere discipulos, quorum singularem in Deum pietatem, summumque in praeceptores amorem, quas duas inter alias prae se ferunt virtutes, quorumve in credibilem in studiis colendis operam, et scientiam denique tantam, quantam ipsorum aetas capere potest, Vobis, Maximi Patroni, vestro amori, favori, studio, consilio auxilioque nunquam satis tradere atque commendare possumus. Sunt et abierunt nonnulli, [d] qui semper optimorum discipulorum partes explevisse nobis visi sunt, ac ita pace nostra dimissi *Helmstadium tanquam ad mercaturam bonarum artium* se contulerunt, quos homines nos benevola memoria, precibus pro vitae et, quod caput est, animae ipsorum incolumitate ad Deum fundendis, nec vulgari denique commendatione etiam in posterum, quoad poterimus, prosequemur. Sunt, quod eorum laudi tribuendum censeo, in quibus videmus oculis, quod apud Philonem Judaeum *dererum divinarum haerede* legimus, *de quo ait:*
Ἐρωτᾷ ἄκατος ὁ μὴ ἐπίσσειαι μαθεῖν, ἀξιῶν γνησίως τῶν εἰς ἐπισημνῶν Φελιμωσίλων ἔργον εἶναι, ἡλεῖν, ἔρωτᾷν, πυνδαίνεσθαι, μηδὲν δοκεῖν εἰδέναι, μηδὲ τίδισθαι παρῴως κατελιγφέναι. Hoc est: *Rogat quisque quod ignorat, cupiens id discere. Nam discantibus nihil tam proprium ac utile, quam quaerere, rogare, sciscitari, non videri sibi scire aliquid vel percepisse solide.*

Sunt

(d) Ex quorum numero primus fuit et primas in amore meo tenuit Joh. Conr. Tacke Hannov. Juvenis liberaliter excultus et ad optimas literas natus, quo factum, ut scientia multos suae aetatis multis post se reliquerit parafangis. Nos hominem Jis literarum Patronis vehementer etiam atque etiam commendamus, quibus sua intresse intelligit, ut tradatur atque commendetur.

Sunt qui nos, qui publico fungimur docendi munere, tanto amplectuntur amore, quanto parentes, quibus vitam debent suam, vix ac ne vix quidem persequi valeant. Sciunt enim praeceptorem comparandum esse cum leone, quem referunt Physici foetum suum, qui ita debilis ac infirmus nascitur, ut mortuus videatur, afflatus sui calore assiduo fovere, donec examinem suscitet, eique vitam inspiret. Quid aliud leonis afflatus est, quo foetus sui vitam suscitatur et suscitaturam confirmat, quam praeceptorum doctrina? Doctrina praeceptorum est, quae homini aliam ingenerat vitam melioremque ea, quam acceptam refert parentibus. Doctrina Praeceptorum est, τῶν ὄντως scilicet διδασκάλων, quod ajunt Graeci, quae vitam parit, quae in optimarum rerum scientia, prudentia, probatis moribus optimisque virtutibus consistit, et hominem ad aeternum recte beateque vivendum informat. Ita sane majoris beneficii loco habendum, recte informare quam generare, magisque Patris nomen promeretur, qui vitam recte instituendam docet, quam qui solam vitam dat. Id sciunt discipuli nostri, qui nos amare sciunt, et in calcanda hujus virtutis via Alexandri M, Neronis, [durante ad huc celebratissimo ejus Quinquennio] aliorumque laudatissimis insistere vestigiis allaborant, haut immemores Theognidis sententiae *φύσαι καὶ θεύσαι ἔξ ὀν βοστὸν ἢ φρένας ἐσθλαὶ ἐνθέμεν* i. e. procreare et educare facilius est hominem, quam bonam mentem inserere. Rectissime itaque sentiunt ac faciunt cum Seneca dum putant: *Se esse ingratos, nisi praeceptorem inter gratissimas necessitudines diligerent.* Quam ob rem semper illis ante oculos versatur istud Isidori Pelusiotae monitum toties ex ejus Epistola 26. p. m 212. *discipulis inculcatum, quod est* *καὶ ἴσως μαθητευομένους καὶ ὡς πατέρας φιλεῖν ἴσως ὄντως διδασκάλους καὶ ὡς ἀρχοντας δεδοικέναι, καὶ μῆτε διὰ τὴν ἀγάπην ἐκλύειν τὸν φόβον μῆτε διὰ τὸν φόβον ἀμαυρῆν τὴν ἀγάπην.*

Quae

Quae verba in Latinum sermonem translata ita sonant: *Discipulorum est, veros Magistros et ut Patres amare et ut Principes timere, ac neque ob amorem metum discutere neque ob metum amorem obscurare.* Sunt contra ex auditoribus nostris hac praesertim scholarum publicarum tempestate, quorum, ut comici nos muniamus iudicio, *cum faciem videas videbis quantumvis pretii.* Sunt denique, quorum tamen ignoscendum haut immerito incitiae est, qui fortunam ab incunabulis nacti sunt non fauricem sed potius novercam, ideoque dum victum potius atque panem ex frequentanda schola quaerunt, quam studiorum incrementa capiunt cupiuntve, omnes pene eo conferunt cogitationes, ut habeant, non quo excolatur animus, sed quo alatur venter ac stomachus. Missis his omnibus, qui non nisi *numeri* in schola sunt, ad *Te, studiosa Iuventus,* denuo meam converto orationem, *Te moneo, Te adloquor, Macte esto,* perge strenue quo coepisti, quo ulterius progrediaris in eo, quem plenissimo gradu ingressa es, studiorum cursu, quo aliquando industriae et sudoris tui fructum capias largissimum, dulcissimum, exoptatissimum, messemque tibi facias amplissimam. Agite igitur, *Discipuli carissimi,* vos praestate viros, ac in id incumbite, ut hodie tam vestrae laudi, quam vobis tribuimus, quam Summae Summorum, Fautorum, Patronorum, Studiorumque vestrorum Promotorum expectationi de vobis factae satis facere possitis. Vos autem qui sitis, quantumve laudis promereamini, id sane non hodie solum ex vestra prompta pariter atque modesta, quam interrogati dabitis, responsione, verum etiam ex Speciminibus vestris, quae in Actu oratorio in hoc semestri, si Deus vitam nobis voluerit superstitem, a nobis

bis instituendo edituros esse pollicemur, elucebit. Quod
reliquum est, Vos, Maximi literarum statores, omni
animi contentione oro atque obtestor, ut inceptis nostris
vestra benevolentia vestroque aequissimo iudicio haut de-
esse velitis. Adeste amabovos, adeste favete animis et
tam de nostro informandi Studio, quam discentium no-
strorum industria partaque sibi scientia aequissime ac be-
nignissime iudicate, *et si quid est quod restet, conatibus*
nostris **APPLAUDITE.** **DIXI.**



ad 22.

99 A

6965

ULB Halle
002 927 934


3



Handwritten mark

VD 77







PROOEMIUM SOLEMNE, 20 17
QUOD ERAT

IN
PUBLICO SCHOLAE HANNOVERANAE EXA-
MINE d. VIII. Jd. APRILIS a. c. INSTITUENDO,
OB GRAVISSIMAS AUTEM CAUSAS DILATO

LECTIONIBVS
ΔΟΚΙΜΑΣΤΙΚΑΙΣ,

EX QUIBUS EXAMINARI DEBEBANT DISCIPULI,
PRO MORE IN SCHOLAS RECEPTO,

PRAEMITTENDUM

OPTIMIS LITERARUM FAUTORIBUS
EA, *QUA PAR EST, ANIMI OBSERVANTIA*

LEGENDUM

OFFERT

JOHANN. HENRIC. Blumeyer

Con - Rect.

HANNOVERÆ, ANNO M DCC XIII.

L. Krakenberg

